

QK. 184.

25

de profectione registraturarum par.  
facienda ex Ordinat. Process. Saxon.

Ve  
2007

X. 23A 3671

PROCANCELLARIVS  
GVSTAVVS HENRICVS MYLIVS  
I C T V S

SERENISS. AC POTENTISS. REGI POL. ET ELECTORI  
PRINCIPI A CONSILIIS PROVOCATIONVM, CVRIAE  
REGIAE SVPR. PROVINC. ASSESSOR ET FAC.  
IVR. SENIOR

INAVGVRALIA SOLENNIA  
CANDIDATI PRAENOBILISSIMI  
D O M I N I  
M. IOHANNIS CHRISTOPHORI KINDII

VERDAVIA MISN.

DIE VI. MENSIS AVGVSTI MDCCLXI.

IN AVDITORIO ICTORVM  
PVBLICE CELEBRANDA

INDICIT.





PROGAMMCELLARIUS  
GUSTAVUS HERRICUS MULLERUS  
1835  
PROGAMM ZU DEN VORLESUNGEN ÜBER DIE  
HISTORIE DER MATHEMATIK VON  
HERRN DR. GUSTAVO HERRICO MULLERUS  
AM 18. SEPTEMBER 1835

UNIVERSITÄT ZÜRICH  
KANTON ZÜRICH  
D. 1835  
M. JOHANNES KRISTOPH KUNDT  
KUNDT'SCHE BUCHHANDLUNG  
DIE IN DIESEM BUCHHANDELS  
ZU ERHALTEN IST  
ZÜRICH  
KUNDT'SCHE BUCHHANDLUNG

UNIVERSITÄT ZÜRICH  
BIBLIOTHEK







Pertinet quam maxime ad officium et Religionem eorum, quibus iurisdictio concedita est, omni cum cura atque sollicitudine providere, vt negotia forensia, aliaque in Iudicio acta vbique sint certiora, ipsa fides Iudicialis autem certissima. Recte enim atque eleganter TULLIVS: Fundamentum Iustitiae, inquit, est: *Fides*, id est: Dictorum conuentorumque constantia et Veritas, credamusque appellatam: *fidem*, quia fiat, quod creditum est. Cum igitur in disceptandis definiendis-que causis Iustissima Iustitia sectanda sit, ex praecepto Legislatoris diuini *Deuter. Cap. XVI. v. 20.* Merito qui Iudicium dirigit, aut Ius dicit, id omne explorat, quod ad veritatem factorum, confessionis, aut praesumptionum indagandam facit. Ante omnia vero de eo, quid actum

A 2

et



#### IV

et probatum, et quoad formam aut merita causae adhuc supplendum sit, sollicitus est, fidem actorum iudicialium, et legalitatem, quam Leges desiderant, sub Examen vocando, an ea omnia recte se habeant, id quod ex Constitutionibus Saxonice olim, et nouissime editis, praecipue ex nouiori, siue recognita Lege Iudiciaria Electoratus nostri cognoscendum erit. In hac enim Dominis Iurisdictionis varii generis iniunctum legimus, vt constituentur Administratores Iudicii, et tales quidem, qui actorum Curam gerentes ab hoc officio nomen habent, eruditos, atque ad processum legaliter dirigendum, acta iudicialia fideliter conscribenda, et reliqua, quae ad fidem gestorum corroborandam conducunt, obseruanda idoneos, quibus tandem personae Iudiciales honestae, fideles, inculpatae vitae ac morum, Iureiurando deuinctae, ad minimum duae accedere, et illarum, quae in actu iudiciali praesentes fuerunt, nomina ab actuario adnotari debent, ne de hac sollemnitate d. Ord. Sax. T. II. §. 2. praescripta dubitandi nascatur occasio. Ipse vero Iudicii Director vel Actuarius sub auspiciis sui Muneris, conuocatis et praesentibus subditis, per iusiurandum, quod non generaliter ad iustitiam recte administrandam, sed specialiter ad negotia plurima, ab ipso expedienda, dirigendum est, adstringendus. Tunc vero acta plenam merentur fidem, adeo vt eorum auctoritas regulariter diffensionem non admittat, Dec. Elect. LXXIV. probationem vero contrariam, vel iuramenta legalia intuitu contentorum in casu,

vbi



vbi registratura a solo Actuario facta in dubium vocatur, tantum concedant Leges, et haec quidem omnia ex dispositione d. Ordin. Recogn. Tit. II. §. 6. ad fidem maiorem actis conciliandam. Cum vero haec ipsa fides atque probandi vis a protocollo, siue registratura eiusque validitate maxime dependeat, interest eorum, qui in foro agunt, aut sese defendunt, imo ipsius Iudicis, vt omnia, quae in Codice gestorum annotata sunt, recte se habeant et certa sint. Ob quam rem Potentissimus Legislator optimo consilio requisita legalis protocolli in eodem §. VI. hunc in modum definiuit. Nimirum, vt Actuarius Iudicii in registratura vnaquaque singula manifeste ac iusto ordine citra rasuram, lituram et marginale in essentialibus, consignare, *consignata partibus praelegere* earumque Monita peculiari registraturae inserere, locum atque tempus exprimere, eorum quoque, quorum interest, subscriptionem adhibere debeat sub multa arbitraria. Et talis quidem registratura praelectionis repetitae, cum omnem errorem, duplicemque sensum excludat, maxime necessaria visa fuit. Caueant igitur actuarii, exceptores et Notarii, quorum opera in conscribendis actis adhibetur, vt omnia fido calamo, caute, cogitateque scribant, scripta ipsi relegant, praelegantque aliis, quorum interest, absque mora. Longum sane foret illa vitia, quae non obseruato hoc ordine registraturis obstant, persequi, a viris iuris peritis qui pragmatici dicuntur, iam notata, in oeconomia Iuris BERGERI L. IV. Tit. 6. Processit



## VI

CARPZOVII et Commentariis ad Ordin. Recogn. Sax. MENCKENII aliorumque. Vnicum hoc, quod incerti iuris esse videtur, in disceptatione versatur: An praelectionis Protocolli aut Registraturae omisso illi vim probandi per omnia vel ex parte adimat, quod quidem dubium vix vnus, aut alter ex Pragmaticis mouet. Quodsi igitur in foro Saxonico de Registratura, an praelecta sit vel non, exoritur controuersia, distinguendum esse videtur, an causa sit civilis vel criminalis. In hac praelectio praetermissa plenam probationem impedit, cum in causis, vbi periculum corporis, et vitae hominis concurrit, registratura dubia reum minime conuincere, sed saltim semiplenae probationis effectum habere poterit. Contra ex sententia plerorumque Doctorem praelectio registraturae in negotiis civilibus intermissa, huius vim plenae probationis regulariter, modo caetera substantialia et necessaria adsint, nequicquam detrahit. Omnia enim, quae in Iudicio a personis iudicium constituentibus obseruanda sunt, legitime facta praesumuntur vsque dum contrarium probetur, id quod iuris notorii est. Hinc Actuarius tamquam personae iudiciali, licet minus principali, eandem praesumptionem tribuere nulli dubitamus, cum iurisiurandi praestiti immemor esse non credatur. Et quamuis errare humanum sit, ita vt aberratio et confusio registraturis conficiendis obstare nonnunquam videantur, haec tamen non praesumenda, sed quia error in facto consistit, probandus. Ord. Sax. proc.



proc. recogn. §. VI. quidem praelectionem gestorum et annotatorum Actuario serio iniungit, sed praeiudicium sub vitio nullitatis non addit, potius coercitionem tantum pecuniariam, atque, quod verba initialia allegati Paragraphi comprobant, ideo praelectio imperata, ne multo minus impugnari possint regeſta in verbis: **Da mit aber auch andern Registraturen über allerhandt Gerichtl. Handlungen und Verhören desto weniger angefochten werden mögen, ic.** Accedit quod contra registraturam licet praelectam parti contraria probatio eius quod vel omisſum vel non rite scriptum apparet, competat. Neque etiam valet argumentum a silentio desumptum, quod nimirum registratura ab Actuario praelecta, contra quam nemo ex litigantibus aliquid monet, omni careat vitio, atque errore, et recte autor libri de Stylo Curiae L. I. Tit. 1. §. 16. iudicat, non omnem fidem registraturae ex praelectione eius facta pendere. Praesumptio enim iam notata est praesumptio Iuris tantum, quae scilicet probationem contrariam admittit. Rustici autem et alii rerum forensium ignari, quibus aliquot folia gestorum praeleguntur, vix ac ne vix quidem, quinam verus sit sensus, recte percipiunt, multo minus, quid praetermissum, semper et incontinenti recogitare possunt. Ut taceamus, quod paganis et semipaganis qui ab vrbe remoti, ruralium operum sunt negotiosi, connexiones periodorum, propositionum logicarum maxime si plures propositiones incidenter iunctae, non satis sint cognitae. Exempla



## VIII

pla huius rei plurima occurrunt quandoque in examine testium articulado et summario, si homines agrestes aut ex infima plebe interrogandi sunt, Articuli vero non breues et concisi, multis ambagibus innodati, ad priores se referentes, ita vt sine illis intelligi nequeant, adeoque Actuarius examinans, qui ipse nonnunquam verum sensum vix assequitur, atque dicta minus recte intelligit, sed alia, quam testium mens et animus fuit, ad acta consignat, quod in examine repetito cognoscitur. Et vt commune vitium repetamus, verbum interrogandi initiale articulorum consuetum saepius Actuarium et testes inducit, ad praeposteram et erroneam quaestionis explanationem et responsionem, cuius rei exempla THOMASIVS in libello de cautelis Aduocatorum circa formulam: *Wahr*, saepe nociuis, in medium protulit. Hinc bene cauteque Actuarii ne quidem in registraturis testimonii et articulis et responsionibus praelegendis substitunt, sed momenta primaria, ex quibus praeiudicium metuendum partibus, explanant testibus, et articulate interrogant, huiusque rei non ex formula consueta, sed secundum veritatem et conscientiam in sine fidem faciunt: und ist N. N. auf Vorhalten, vel: nach bescheneer deutlichen Vorhaltung und Vorlesung bey dieser Registratur und Aufage allenthalben verharret. Eandem quoque sententiam, quam ratione effectus proposuimus, ex mente Iureconsultorum in Iudiciis Saxoniae superioribus et inferioribus locum habere loquuntur

tur



tur sequentia enunciata. Primum est, quod in Curia Reg. Elect. Sax. Lipsiens. Term. Luciae MDCCXXIX. in *Causa Joh. Schröters contra Tobien Schrötern*, publicatum recordamur, cum reus transactioni iudiciali in registratura comprehensae exceptionem non factae praelectionis obiiceret, atque actum coram senatu Landsbergensi celebratum ex capite nullitatis impugnaret, testimonio iurato eorum, qui praesentes fuerunt, adiutus, hanc tamen et transactionis et registraturae validitatem Curia nihilominus declaravit, praeiuro iureiurando suppletorio a minorennibus de credulitate praestando, cum multa tamen decem Thalerorum actuario senatus ob oscitantiam dictata in sententia dictae Curiae supremae his verbis prolata:

Auf Vorbringen und erf. Ges. in Appellation-Sachen derer Anwälde Joh. Schröters und Conf. Appellaten an einem, Tobias Schröters appellanten and. th.

Erkennen Wir ic.

Würden Appellatens Principalen, daß, was in der am 14. Febr. des 1727. Jahres zu Landsberg gefertigten Vol. sub n. 1. fol. 264. sq. befindl. registratur abgehandelt, sich dergestalt und anders nicht, als niedergeschrieben worden, verhalte, eydl. erhärten, und diesfalls in supplementum schweren; So ist Appellant

B

des



## X

des beschenehen Vorwendens ungeachtet dem mit Appellaten am 14. Febr. des 1727. Jahres errichteten Vergleich nachzukommen, und denenselben die verglichenen 600. fl. zu bezahlen schuldig, und weil der Stadtschreiber zu Landsberg Joh. Melchior Hoffmann der erl. Proc. Ord. ad Tit. II. §. 6. zuwieder die aufgesetzte Registratur denen Partheyen nicht wieder vorgelesen, noch wie solches geschehen zugleich mit angemerket, so wird derselbe um 10. Thlr. in Straffe genommen.  
B. R. W.

Idem censuerunt quoque Dni Scabini Lipsienses in causa Senatus huius ciuitatis contra George Birstein, M. Augusto MDCCCLIV. ad Iudicium Loessnicense, iudicantes, transactionem non praelectam vitio haud laborare, his iunctis rationibus: Im übrigen das unterbliebene Vorlesen dieser Registratur deren Gültigkeit nicht aufhebet, da solches die Erl. Proc. Ordn. ad Tit. II. §. 6. nicht als ein unentbehrliches Erforderniß und bey Vermeidung der Nullitaet, sondern nur damit die Registraturen desto weniger angefochten werden, vorschreibet etc. Et haec quidem de registratura in causa civili non praelecta sufficiat dixisse. Sed registraturae in causis criminalibus non praelectae diuersa est ratio. Licet enim, quod validae sint, iudicemus, adeoque eandem, quam supra proposuimus, sententiam teneamus, attamen in causis grauioribus, vbi inquisitus ex confessione vel in poenam corporis afflictiuam vel  
capi-



capitalem condemnandus est, et repetitio et praelectio necessaria, quae effectum diuersum habere poterit. Si enim inquisitus dicta disputat, vel confessa reuocat, registraturae non praelectae vis plenae probationis minime, sed semiplenae tantum poterit tribui ita, vt delinquenti vel purgatorium, vel territiones vel tortura sint dictanda. Cum vero salus, et vita eius, qui inculpatur, quod maxime dolendum, ab vnus hominis fide, dexteritate et diligentia, addo etiam incuria, affectu et calamo dependeat, nimirum Actuarii atque Notarii caussarum criminalium, illi nunquam satis inculcari possunt, quae circa conscribendas registraturas obseruari debent. Optimus in hac re est monitor ICTus Helmstadiensis KRESIUS, qui ad *Ordin. Carol. Art. LIII. §. 3.* exigit, vt actuarius diligens de verbo ad verbum inquisiti dicta annotet, non elegantiam, non verborum selectum, ampliationem aut compendium, sed vnice inquisiti relata respiciens, cum registraturae comites sint sinceritas et simplex veritas. Nec silentio praetereundum consilium, quod idem KRESIUS ad art. CLXXXVII d. Constit. addit, his verbis:

„Actuarius quoque, si reus crimen imputatum fateatur, tales tamen circumstantias simul pro sua defensione alleget, quae probatae multum pro ipsius innocentia factique perpetrati iustitia et excusabilitate facere possint, non minus curabit, vt haec omnia vna cum iis, quae pro harum circumstantiarum veritate indaganda



XII

„hinc inde gesta, et a iudice facta sunt, manu ipsius ac-  
„curate in protocollo signata extent. \*)

Sed hanc in rem plura disputare vetat, qui nobis  
huius scriptionis causam dedit

CANDIDATVS PRAENOBILISSIMVS  
D O M I N V S  
M. IOH. CHRISTOPHORVS  
K I N D I V S

cuius natales et reliqua, quae ad vitae rationes pertinent,  
recensenda sunt. Ipse autem omnia nobis his verbis ex-  
posuit:

**N**atus sum a C. N. c1010cccxviii. Werdauiac, olim  
Verdae, quod oppidum non longius multo a Plissae  
fonte abest, eadem cum Cygnea praefectura coniunctum.  
Ibi

\*) Monitum hoc praecipue ad actuarios segnes et incurios per-  
„tinet, quibus saepe satis est, rei confessionem qualitercun-  
„que annotasse, quasi satis esset, rei crimen in confesso esse.  
„Enim vero cum in processu criminali non tantum in quae-  
„stione versetur, quis facinus peregerit, sed potissimum,  
„quibus de causis et quomodo peractum fuerit, siue in ge-  
„nere, quibus omnino circumstantiis circumspicendum fuerit:  
„inde omnino actuaria cura incumbit, ne acta circa quae-  
„stiones ultimas mutila et manca existant, sed ut omnia conscri-  
„pta legi possint, quae ad rei defensionem conducunt.



Ibi in patris domo litteratura Latina et Graeca a Vogtio et Foerftero institutus a C. N. c l o l o c c x x x. Grimam me contuli, eoque in ludo inter regiae munificentiae alumnos relatus sub magistris Ermelio, Schumachero, Parsky, Vlischio et Hauptio fere per sexennium merui. Quo elapso Lipsiam adii anno huius seculi xxxv. atque Academiae ciuibus Rectore Ioanne Florente Riino adscriptus doctoribus operam dedi in addiscenda philosophia, Winclero; in mathesi, Hausio; in praeceptis stili Latini, Kappio; in poesi et rhetorice Gottschedio; in antiquitatibus Romanis, Christio; in intellegendis scriptoribus Graecis et Latinis, Ernesti; in historia litteraria et ciuili, Ioechero; in Hebraicis Chaldaicisque litteris Hebenstreitio et Clodio; in legibus interpretandi Sacra, Wollio; in doctrina morum Theologica, Tellerio; in symbolicis libris cognoscendis, Boernerio; in reliquis Theologiae partibus, Klausungio, Deylingio et Weisio; in declamando denique Petzoldo, affini meo. His studiis absolutis τῶν Φιλομαθῶν et Φιλοβιβλιῶν sodalitatibus, quae se praefidibus Weisio et Hebenstreitio colloquiis academicis exercuerunt, per aliquot annos interfui. Tandem vero a C. N. c l o l o c c x x x x i. summos philosophiae honores in hac Academia consecutus sum, et Iuuenum Generosissimorum nonnullos litteras humaniores, et praesertim latinas, et historiam omnem priuatim docui. Quod otii superfuit, id omne Plutarchi vitis ex Graeca



## XIV

in linguam nostram transferendis tribui, eundemque libellum translatum notisque meis illustratum Principis Electoralis Saxoniae nomini sacratum octo Tomis, et Polyaei et Frontini Strategemata Germanice a me conuerfa Serenissimo Saxoniae Principi Xauerio dedicata edidi, tantorum Principum, quorum praesentiam nunc tantopere desideramus, principalem indulgentiam, ex quo in eorum conspectum venire licuit, largissime expertus. Cum deinde, ita iubente Deo, Viri Generosissimi Io. Gottlobii a Ponickau, nunc cubicularii Vinarientis, moribus et studiis praeficerer, officii ratio poscebat, vt cum hoc disciplinae meae alumno Themidis scholas celebrarem. Audiui igitur in historia Iuris, Godofredum Mascouium; in iure naturae et gentium, Mullerum; in iure ciuili Ioachimum; in iure Germanico, Cramerum; in cambiali et feudali, Siegelium et Bauerum; in iure canonico, eundem Mullerum; in iure et historia Imperii, Io. Iac. Mascouium, nuper ad meliorem vitam vocatum; in rebus vero in foro tractandis rursus Ioachimum doctorem sectatus sum. Tum tandem iurisprudentiae me totus dedi, et Theoriae cum Praxi consociandae causa in foro versari coepi a C. N. cId Id ccli. ab illustri Iureconsultorum Lipsiensium ordine, superato consueto examine, Iurium Candidatus declaratus, a C. N. cId Id cclii. regio rescripto aduocatorum ordini adscriptus, atque ab amplissimo huius ciuitatis Senatu a C. N. cId Id-



CLIO I O C C L I I I . Notarius publicus creatus, atque ab eo tempore cum multos aduocatione, tum iuuentuti iuris studiosae sedulam operam nauauit. Cuius me mei consilii haud poenitet. Haec noster.

Iam cum idem post collatum primum gradum Baccalaureatus ad dignitatem honoris in Iure summam acquirendam sese accinxerit, in Examine, quod rigo-  
rosum dicitur, Iuris vtriusque notitiam nobis compro-  
bavit adeo, vt ipsi honores petitos, quos Doctoratum  
vocamus, omnino conferendos esse, communi suf-  
fragio fuerit decretum. Ea de causa futura die Mercurii  
nimirum die V. Augusti hora pom. II. in Auditorio  
nostro L. I. C. Si saepius in integrum restitutio po-  
stuletur, explicabit. Proxima sequenti vero die Iouis  
VI. eiusdem mensis inaugurale specimen *de reprobatis  
speculi Saxonici articulis* conscriptum sine Praeside in eo-  
dem Auditorio tuebitur, quibus peractis Vir Excellen-  
tissimus et Consultissimus D. FRANCISCVS GVI-  
LIELMVS ROMANVS, Consistorii Ecclesiastici Re-  
gii Lips. Regininis Prou. Lusatiae Infer. et Ordinis no-  
stri Assessor, Collega honoratissimus, cui Promotoris  
vices ad hunc actum Ego Procancellarius demandauit,  
Candidato nostro summam vtriusque iuris dignitatem  
et iura, excepta spe, locum inter Assessores nostros in  
Sessione Collegii occupandi, more consueto conferet.

Cui




*Ke 2007. 61*

XVI

Cui Inaugurationi solenni vt RECTOR ACADE-  
MIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMI-  
TES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PATRES ET  
CIVES et quotquot aut nobis, aut Candidato nostro  
bene cupiunt, frequentes interesse velint, qua quemque  
deceet humanitate, rogamus. Dabamus *Dom. XI. post*  
*Trinit. Anno MDCCLXI.*


---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



*m.c.*





25 Dec. 1841. de profectione registraurum par  
facienda ex Ordinab. Proceff. Saxon.

Vc  
2007

X. 2313671

PROCANCELLARIVS  
GVSTAVVS HENRICVS MYLIVS  
I C T V S

SERENISS. AC POTENTISS. REGI POL. ET ELECTORI  
PRINCIPI A CONSILIIIS PROVOCATIONVM, CVRIAE  
REGIAE SVPR. PROVINC. ASSESSOR ET FAC.  
IVR. SENIOR

INAUGVRALIA SOLENNIA  
CANDIDATI PRAENOBILISSIMI  
D O M I N I  
M. IOHANNIS CHRISTOPHORI KINDII

VERDAVIA MISN.  
DIE VI. MENSIS AVGVSTI MDCCLXI.  
IN AVDITORIO ICTORVM  
PVBLICE CELEBRANDA  
INDICIT.

